

/ Admodum R/de Pater, Ad literas R.V. quas datas 23 Novembris,
accepi die 23 Decembris, respondeo, mihi gratissimum fuisse, quod
ex decreto capituli generalis Parisiis celebrato, monasterium Gen-
tilini admiserit libentissimis animis Admodum R/dum Patrem Pro-
5 vincialem, eique obedientiam praestiterit. Hinc enim cognovimus
monachos ejus Monasterii esse veros obedientiae filios et pacis
amicos; et speramus deinceps futuros omnes monachos Coelestinos
in universa Gallia cor unum et animam unam. Res haec mihi, nec so-
lum mihi, sed etiam summo Pontifici jucundissima fuit. Unum super-
10 est, ut omnes perseverent in ea reformatione, quae in capitulo ge-
nerali stabilita est; quod futurum omnino spero, et pro tanto be-
neficio gratias Deo Domino nostro ago. His valeat R.V. cum omnibus
fratribus et filiis suis; quorum omnium precibus me ex animo com-
mendo. Datum Romae, die 26 decembris 1618.

15 R/ae Paternitatis V. et fratrum ac filiorum suorum
Uti frater in Christo

La sopra scritta:

Admodum R/do Patri N (qui si metta il nome proprio)

de Serre Priori di Gentilini, / et reliquis monachis Coeles-
20 tinis / in eo monasterio Deo servientibus.

Archiv. Postul.? autogr., brouillon de réponse. (cf. 23 nov.)